

XI. 1^f = Q.

(cat. 4, g - 22.)

Jusuit:

1. Klausing, Hr., progr. (De Beneficiis a Deo in acad. Lips. collatis). Lips. 1739.
2. Hoffmann, Joh. Gli., Schediasma historicum de Joh. Hofmanno primo acad. Lips.
et autore et professore. Lips. 1710.
3. Mencken, Jo. Burch., Oratio secularis De viris eruditis qui Lipsiam illustrem reddit.
Derunt. Lips. 1710.
4. Friedrich, Jo., De studio lit. graec. & lat. Acc. narratiuncula De initio et progressu
literaturae politoris in hac aca^demis. Lips. 1608.
5. Boehme, Joh. Glo., De Richardo Croco Britanno, graec. litt. in aca^d. Lips. instauratore.
Lips. 1761.
6. Boehme, Jo. Glo., De Mauricū elect. in aca^d. Lips. insigni favore. Lips. Urba.
7. Schwarz, Chr. Gli., Norimbergenses nonnullos De aca^d. Lips. bene meritos recensent. (A.M.) 1714.
8. Boehme, Joh. Glo., Oratio De Ph. Melanchthonis in aca^d. Lips. meritis. Lips. Urba.
9. Kapp, Jo. Erh., progr. (De Joachimi Camerarii in aca^d. Lips. meritis). Lips. 1746.
10. Acad. Lips. progr. (De illis qui mensas novas in convictoriis Lips. erexerunt, praecipue
de Sac. Fr. Amthorio.) Lips. 1754.
11. Platner, E., Oratio De bonis aca^d. Lips. Lips. 1760.
12. Bavarus, Cunr., Jubilare carmen in aca^d. Lips. Lips. 1610.
13. Mulman, Joh., Quae cinq[ue] plagi Jubil-venitatu[rum] b[ea]tissimis rubru[rum] Jubilatu[rum] aca^d. Lips.
Laiyz. 1609.
14. Weinrich, Ge., Graev. scri. M. Tübneri Lyen digitau. Laiyz. 1610.
15. Enthüllung des Laiyzigen Driftau[rum] aca^demicie jubilai. Janv. 1710.
16. Crelf, Edw. Chr., Supremi honores in panegytri seculari tertia aca^d. Lips. solemnisime
Distributi carmine jubilante Descripti. Lips. 1709.

17. Hippocrate Jubel-Lind zu dem von britannum nobatam Jubelstet die Kno. Leipzig.
 Enigg. (1709).

18. Hoffmann, Joh. Gli., Jubel-Singen der Kno. Leipzig (Verdigt), u. abg. schediasmate epistolo-
 lico von Joh. Hoffmann, den vorstan Nobilis Singen acu. S. Leipzig. 1710.

19. Weber, Anan., Ecclesia et acad. Lips. Lutherano-Evangel. Oratio secularis. Lips. 1639.
 (Sylloß finge.)

20. eadem; recusa. 1739.

21. Kromäuer, Hier., Pratio panegyrica de pace religionis. (Lips.) 1655.

22. Bahrdt, Joh. Fr., De iniquis pacis religiosae osoribus. Lips. 1755.

23. Wechsler, Chr. Fr., prae. Joh. Fr. Bahrdt, De constantia et perpetuitate pacis Augu-
 stanæ. Lips. 1755.

24. Picul, Chp. E., Absermonen und Enigg. vnde Solennia Lips. novem. V. Königiu Christinanu
 Gregorianu Abbau auf der Kno. Bajewmara wortet. Leipzig. 1727.

25. Kuff: Institutum, in legibus bel. Germanicis in ipsius Marci et Maxima abfert bei den
 Kno. Enigg. batentand. 9. d. Octobr. 1729.

26. Abserm. de conspicuistan statuti de successione des Ognivide bei den Kno. Enigg.
 batentand. 2. d. Octobr. 1672.

27. die Kno. Enigg. Ordinay, ueritas pugnico bei Melchior. Mu., Gregoritan, Christian
 n. Enignub agnitione, n. p. in Corp. profetae wortet. vll. Enigg. 1634.

28. die Kno. Enigg. Bedeutung ueritas vnde de sibz Jurisdiction Nutzenbnu bei Melchior.
 n. Mu., Gregoritan, Christian n. Bragabu. Mu., wein die Corpi p. ueritas vnde
 Vollauer. Enigg. 1680.

29. Inst. Ebn. Mon. Kno. in donis qnegeben. Enigg. 1698.

30. f. vbl. Kno. Enigg. Ordinay, ueritas vnde de sibz Jurisdiction Nutzenbnu
 in Evidenz Schmid. n. Tractamenten auf Konstanz zu verfertet. Enigg. 1698.

31. die Kno. Enigg. vnde ueritas Opifici-Ordinay. (Enigg. 1641.)

32. L. Kno. Enigg. Polonia. n. Christi-Ordinay. Enigg. 1673.

33. Richtigt Auszeichnung, rath auf der Univ. Leipzig Stüffnauen Vorhoffriften u. i.
Obre-Exz. des Jazu-Offenb. Fabriker geftaltan zu verden wolle. Leipzig. Vf 12.
34. Richtigt Auszeichnung, rath auf der Univ. Leipzig Stüffnauen Vorhoffriften das Jefu-
Offenb. Fabriker geftaltan zu verden wolle. Leipzig. 1228.
35. Den Univ. Leipzig Minusmaßnung zu den Ungeordneten zu Willigen Almoeben, von quen/
werden das verbesserung daraus in die Stadt von Geveniffenden Entferne. Leipzig. 1638.
36. Epp. ejid. abea del Paulini. Witten. 2. d. Freuden 1661.
37. Leges Alumnorum in acad. Lips. Denus publicatae. Lips. 1661.
38. Disputatio. 1690.
39. Disputatio. 1704.
40. Disputatio. 1712.
41. Disputatio. 1717.
42. Disputatio. 1729.
43. Disputatio. 1738.
44. Leges pro conuictoribus mensarum communium in collegio Paulino acad. Lips. 1601.
45. Disputatio 1612.
46. Disputatio 1625.
47. Disputatio 1710.

CD

IOH. GOTTLLOB BOEHMII

HISTORIOGR. SAX. HIST. PROF. PVBL. ORD
PAST. ARC. ACAD. PISAVR. SOC

DE

M A V R I C I I

DVCIS ELECTORIS SAXONIAE

IN

ACADEMIAM LIPSICAM

IN SIGNI FAVORE

O R A T I O

QVVM

BACCALAVREI PHILOSOPHIAE

MENS. DEC. A. R. S. CICDCCCLXIII

CREARENTVR

DICTA

L I P S I A E
IN OFFICINA HEINSIA

A. R. S. CICDCCCLXIII

JOH GOTTLÖD BOEHMI

DEUTSCHEL SAX-HIET TRO. ETAT. O&D

PATR. WIC. A.D. M. 1524. 200

DR

M A V I C I I

DACIS HELCJORIS SAXONIAE

IN

ACADEMIA LIPSIENSIA

INSIDENI PLATEAE

O R A T I O

644

BACCAVARII THYSOPHIAE

OMNIS HIC. E. A. C. D. C. E. C. X. I.

GRÆARENTHAR

DICTA

LIPSIAE

IN OTTIOINA HENISIA

A. R. A. C. D. C. E. C. X. I.

SERENISSIMO PRINCIPI
FRIDERICO AVGVSTO

DVCI SAXONIAE S. R. I. ELECTORI

ET ARCHIMARESCHALLO

PATRIAE SPEI DVLCISSIONAE

IOH. GOTTLÖB BOEHMIVS

Orationem ad TE hanc, DOMINE SERENIS-
SIME, quantumvis scholasticam atque indisertam,
ideo mittere sum ausus, quod de Mauricio dicta est, Saxo-
nicorum Principum sapientissimo, fortissimo, liberalissimo,
cuius exemplum, nisi propinquius et illustrius in Diuo Pa-
rente *TVO* haberes, ad intuendum imitandumque *TIBI*
esse propositum deberet. Dicta est autem in eadem, quam
ille tantopere ornauit, Academia *TVA*: cuius amorem
TIBI perinde, ut Mauricio ceterisque Maioribus *TVIS*
omnibus, veris Musarum praesidibus, inditum atque inge-
nitum esse quum haud obscuris signis intelligamus, eum, si-
c ut reliqua virtutum *TVARVM* decora, cum ipso aeta-
tis progressu plus indies audum iri, certissime nobis polli-
cemur. Editus es enim Parentibus iis, quorum felici sub
impe-

imperio studiis quoque melioribus pristinum decus, et illa
aurea aetas, quae Mauricio rerum potito praecclare adful-
serat, iamiam redditura esse videbatur: quos non tam ut pa-
tronos, quam ut Numina quaedam litterarum, qualia pri-
scis poetarum carminibus celebrata sunt, et coluimus, et,
dum vita manebit, religiosissime colemus. Nunc autem Di-
uo Patre *TVO* in caelum, unde descendebat, recepto, sub
Serenissimae Matris, ac Patrui, Principis et bello et pace
eximii, fide tutelaque in spem patriae amplissimam adolescens;
ductuque et cura *Excellentissimi Victoris, Viri Summi,*
omni disciplina liberali in primisque sapientiae praeceptio-
nibus institueris. Quidni ergo tot et tantis auguriis confi-
damus, etiam *TIBI SERENISSIME DOMINE,*
Academiam Lipsicam in tanto amore futuram esse, vt eam
TVO patrocinio, TVAque liberalitate complectendam et
amplificandam esse putas? Quidni redditum in *TE* litteris
existimemus Principem intelligentissimum, Principem optimum,
FRIDERICVM CHRISTIANVM, cuius
acerbissima mors TIBI, et omni Saxoniae TVAE maxi-
mum luctum, exteris gentibus dolorem adtulit? Deus *TE*
quam diutissime seruet, Regiamque Domum Saxoniam
omni prosperitatis genere cumulet! Scripsi Lipsiac,
a. d. VIII Kal. Febr. MDCCLXIV.



RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE
COMITES ILLVSTRISSIMI
EXDECANE SPECTABILIS
COLLEGAE VENERANDI
GENEROSISSIMI NOBILISSIMI QE
COMMILITONES



sportunam veteres, vanis superstitionibus ad-
dicti, Deam, ut rerum humanarum omni-
um, ita praecipue fortis dominam finxere
variam, incertam, instabilem, nihil ordine regentem, cun-
cta iniusto arbitrio versantem, et munera sua, ut eleganter
a Seneca dictum est, manu coeca spargentem. A cuius
opinionis errore quamquam nos omnes, veris religionibus
initiati, longissime absimus: tamen fortunam, hoc est, ca-

A

sum



sum, siue fortis euentum, humanis in rebus saepenumero ludum ludere insolentem, saepenumero in conferendis velut prouinciis non eligere dignissimum quemque, sed deerrare ad parum idoneos et cernimus, et profitemur. Ac deeravit illa profecto, quum ad huius diei sollemnitatem publica oratione celebrandam, praeteritis aliis ex Collegio nostro disertioribus viris, meam vocem elegit. Est enim hic a maioribus traditus mos, vt in deligendo eo, qui hanc tam orationem habeat, non aut iudicii sensum, aut amoris benevolentiam, sed coecam fortis iniquitatem sequamur. Itaque nuper fortientibus nobis mihi haec dicendi prouincia euenit; quantum insperanti atque inuito, licet vel hinc existimare, quod, quum fortitio fieret, ne praesens quidem adfui. Qui enim diligentissime caui semper, ne vlla in re mihi essem Suffenus, intelligebam facile, ad sustinendam tam Spartam, nedum ad ornandam, ingenii mei tenuitatem orationisque paupertatem non posse sufficere. Hac ego conscientia monitus, verecundia deterritus, manum intratogam, quod aiunt, lubenter soleo continere, atque vt numquam nisi officii ratione impulsus, ita ne tum quidem sine summa sollicitudine ad dicendum accedo. Sed nempe, quo dicit ac trahit necessitas fati, sequendum est.

Cogitanti autem mihi, qua de re ad auspicandam hanc sollemnitatem in hoc nobilissimo confessu verba facerem, versata est ob animum et vestrae doctrinae, Collegae Venerandi, tum elegantia, tum amplitudo, et vestra de me, Com-
mili-

milites Suauissimi, praeclara existimatio, plurimis iam et maximis argumentis cognita mihi et perspecta. Quumque recordarer illius temporis, quo me de optimarum litterarum apud nos ortu ac progressu, deque laudibus maximorum Principum, quorum indulgentia et sapientia felicitas Academiae nostrae stabilita est, semel atque iterum ex hoc ipso loco dicentem, non solum singulari benignitate et comitate, verum etiam propter eximiam rei dignitatem studiosissime atque anidissime auscultatastis: veniebam in spem fore, ut, si nunc quoque talis a me oratio adferretur, ea vobis omnibus auditu aequa grata et iucunda esset. Recolam igitur, quantum in hac temporis ad dicendum statuti breuitate licet, Mauricii, Saxonum Ducis, Imperii Septemviri, Principis belli pacisque artibus maximi, summa et immortalia in Academiam Lipsiensem, ab ipsius maioribus et feliciter conditam, et liberaliter sustentatam, promerita; quorum tanta est et multitudo et magnitudo, ut nulla cuiusquam eloquentia, pro dignitate, satis umquam laudari ac praedicari possint. Verum ego illa nequaquam verbis ornanda, sed tantum velut digito commonstranda, et ad huius temporis prosperitatem, quam auspicatissima noui Principatus initia pollicentur, comparanda esse intelligo. Habeimus enim diuinitus datum et concessum nobis, litteris, et rei Saxonicae publicae, Principem et a natura clementissimum, et a doctrina huimanissimum, et ab omnium virtutum excellentia sapientissimum, et, quod nos inermis Musae

-
A 2
alumni
- A



alumni amatoresque vel maxime spectare debemus, pacis,
et eorum, quae pacem ornant, studiorum amantissimum,
ipso Mauricio, Principe optimo, meliorem FRIDERI-
CVM CHRISTIANVM, Poloniarum Principem Re-
gium, Ducem Electorem Saxoniae: quod nomen longe
Musis dulcissimum, patriae vniuersae carissimum, dum vene-
rabundus pronuncio, videor pietatis ac reuerentiae vestrae
sensum, quasi effusum per ora vultusque omnium, spirantem
cognoscere. Quo minus etiam dubito, quin vos rerum, de
quibus dicturus sum, praestantia capti, me quamuis insacun-
dum oratorem attentis animis audituri, eodemque, quo
antea semper, fauore prosequunturi sitis.

Litterarum amorem, in primisque huius Academiae
amplificandae studium, Auditores, iam inde a puero Mauri-
cius tamquam innatum ingenitumque, et maiorum exem-
plis impressum, ac multo magis postea, velut cum aetate au-
ctum et confirmatum, permultis in rebus luculentissime de-
claravit. Longum foret, atque in tanta rei celebritate su-
peruacaneum, de Principum superiorum in hanc Bonae
Mentis ac Sapientiae sedem illustribus meritis ac beneficiis
commemorare. Claruit autem illa in primis Alberti et Ge-
orgii, Ducum Saxoniae, summa atque incredibili indulgen-
tia; et tum iam adeo claruit, vt, quemadmodum Philippus
Nouenianus, doctissimus vir, in epistola ad ipsum Georgium
perscripta * testatur, meliorum artium et litterarum cultu

* Adiecta est HERM. BUSCHII Lipsicis, cum PHILIPPI NOVE-
NIA-

* * *

aliisque compluribus ornamentis cetera Germaniae gymna-
sia superare, aut certe aequare videretur. "Tibi illa magni-
ficientia, inquit Nouenianus, hereditario a diuinis parenti-
bus tuis iure obuenit, qua tuo in regno - vrbes amplissimis
aedificiis vel nouae conduntur; vel veteres instaurantur, ar-
ces munitissimae eriguntur: *liberaliumque disciplinarum et*
omnis sapientiae asylum, Lipsiam tuam, adeo tu maioresque
tui, et comprimis seculorum memoria dignus heros, Alber-
tus, parens tuus, nulla non re ornasti, vt, si omnibus huma-
nae felicitatis dotibus cetera Germaniae gymnasia non supe-
*ret, nimirum aequet". Quod quidem tempus, regnante
Georgio Principe, doctrinarum studiis reique nostrae tam
auspicatum, ego inter familiares dicere sum solitus *iuuentu-*
m Academiae; nam superioris aetatis barbaries, quo alio
nisi pueritiae atque infantiae nomine adpellanda est? Sub
Pii Henrici principatu, si diuturniorem vitam ei propera
fata non inuidissent, ad quamdam quasi robustam maturita-
tem peruentum fuisset. Repurgata enim tum religionis
doctrina, quanto magis Academiae utilitatem intelligebat,
eo diligentiore curam adhibere constituerat, vt eius res
non modo sartas tectas praestaret, verum etiam omnis ge-
neris accessionibus auctas, in maius ac melius indies proue-
heret. Itaque Bornero, in magistratu suo de Academiae
statu quiritanti, memoriae proditum est illum respondisse,
*Academiam sibi curae fore, quod eam iudicaret esse praeci-**

A 3 puum

NIANI, Hasfurtensis, scholiis, Lipsiae editis, An. 1521. 4.

* * *

puum et ornamentum et caput ditionis *. Sapienter profecto, ac liberaliter! Ne, quaeſo, vñquam ſinamus haec verba cedro digna ex memoria noſtra eſſluere, ſed crebris sermonibus grati vſurpemus: quamquam furdas fortaffe pulsaturi aures eorum, qui haud abſimiles iſtis, de quibus eſt apud veterem Annalium auctorem **, potius argenti fodinam Fribergam cor eſſe Marchionis oclamabunt.

His igitur maioribus, hoc patre ortus Mauricius, non potuit non inde a prima pueritia, erga Lipsiam, atque hanc ſtudiorum Vniuersitatem, amore tenerrimo imbui. Sunt, qui eum litterarum tirocinio ſub eximii magistri ductu in vrbe Friberga poſito, Lipsiam, tamquam ad omnium liberalium artium, quibus illuſtri loco atque ad imperium natos in pri- mis erudiri conuenit, praefantifimam officinam, ſeſe con- tuliffe commemorent ***. Qui honos quondam a Princi- pibus noſtris huic Academiae haud infrequenter habitus eſt ****: et, fi ſpem noſtram Superi ratam eſſe volent, ha- bebitur. Ex eo tempore Mauricium rei noſtrae impensis fauifſe quis neget? Nam etſi eius inſequita aetas belli ope- ribus

*** MELANCHTHON Epift. ad
Joach. Camerarium Lib. IV. ep. 220.
“Lipsiae tota hieme ſic ſatis graſſatula
„eft pestilentia, et adhuc graſſatur.
„Eares impedit etiam deliberationes
„de eius virbis ſchola; etſi nuper Dux
„liberaliter respondit. Rector enim
„Bornerus noſter ſcriperat ad Prin-
„cipem de Academiae ſtatu: cui
„Princeps pollicitus eft, eam rem li-
„bi curae fore, quia iudicet, Acadē-

„miam praecipuum eſſe et ornamen-
„tum et caput ditionis: eo enim ver-
„bo vñſus dicitur“.

** Annales Vetero-Cellenes, in
MENCKENI Script. Rer. Germ.
T. II. p. 409.

*** Vid. Memorabilia Saxonica,
(Sächſiſche Merkw.) p. 725.

**** De Georgio Duce FABRI-
ciūs Origg. Saxon. Lib. VII. p. 842.
“Geor-

ribus magis quam pacis artibus occupata, militaris gloriae studiosior fuit: medium tamen inter armorum strepitum, ne in hoc quoque laudis genere Alexandro M. quicum eum Georgius Fabricius * comparat, cessisse videtur, ad Musas respexit, humanitatisque ac sapientiae studia non solum amauit, sed etiam coluit, fouit, defendit, verus Hercules Musagetes. Existimabat enim id, quod prudenter eleganterque dicitur a vetusto scriptore **, *Musarum quietem iuvari ornarique defensione Herculis, et virtutem Herculis voce Musarum.* Itaque posteaquam ad gubernationem harum regionum et aitiae ditionis peruenisset,

— — — *Curibus paruis ac paupere terra*

Missus in imperium magnum,

(hoc enim versu Virgiliano fors ei olim exierat auspiciatissima ***,) ante omnia, ut res Ecclesiastica constitueretur, coetuumque scholaisticorum et numerus augeretur, et leges confirmarentur, prudentissime ac diligentissime curauit. Qua in re perficienda egregie adiutus est opera atque consilio praestantissimorum hominum, potestatis suae ad-

“Georgius adolescentis bonis litteris atque artibus Lipsiae instituitur: in quibus tantum progressus est, vt cum exteris, sine interprete, quae vellet, in sermone familiari loqueretur. Vidi fragmentum Commentarioli de rebus gestis Alberti patris, ab ipso conscripti, quod etiam in hac narratione studiose sequutus sum.”

* Loc. comm. Lib. IX. p. 97.
“Princeps hic - belli a teneris, quod

„aient, vnguiculis ardens studiis, animo suscipiendo res arduas et persistendi constantia nulli maiorum laudatissimorum et fortissimorum inferior, ideoque merito non tam ob aetatem, quam gubernationem et res maximas, domi forisque laudabiliter gestas, *Alexandro M. communis* parandus.“

** *Eumenius* in Or. pro scholis instaurandis.

*** Vid. *FABRICIVS* l. c.

* * *

ministrorum, praecipue Georgii Commerstadii, et Christophori Carolouicci: quorum ille et *Sapiens* et *Eruditus* ab omnibus habebatur, hic etiam cognominabatur*. Et Carolouicius quidem, vt ceteras eius animi atque ingenii doctes omittam, eloquentia Latina tantum pollebat, vt, praeter Iulium Pslugium, neminem tum ne in Italia quidem, parem in hac quasi palaestra, nedum superiorem habere crederetur**. Vterque autem, et Commerstadius et Carolouicius, in huius nostrae scholae disciplina olim proseceabant. Tantum interest rei nostrae, per quos viros, quibusque artibus constituatur ac prouehatur!

Sed Mauricii erga nos tam varia tamque insignia merita sunt, Auditores Honoratissimi, vt, si vel ea tantum ipsius largissimae liberalitatis munera, quae sensibus patent, et quotidie nobis in oculos incurunt, enumerare omnia et percensere vellem, dies me deficeret. “Quidquid enim in re scholastica, (vtar verbis Camerarii **,) firmum, stabile, praeclarum est, omnem liberalis institutionis spem, et optimarum disciplinarum studia atque dignitatem, ab hoc Principe fundatam confirmatamque habemus. Illius amplissimo

dono

* MATT. DRESSERVS in Or. de vſu Hiftor. “Ex animo ,meo numquam effluit vox Christophori Carolouicci, eius, qui *Sapiens*, „qui *Eruditus* a plerisque habebatur, „et cognominabatur.“ Plura de eo vid. in PETRI ALBINI Chronicis Misn. p. 368. De Commerstadio ibid. p. 346. Conf. MELCH. ADA-

M1 Vitae Germanorum ICtorum p. 134 et 236.

** IOH. HOMILIVS in Or. de regione et gente Myforum, inserta Declam. MELANCHTHONIS T. IV.— “Nunc quoque, vt audio doctos iudicare, nullius oratio Latina omnium, qui nunc quidem scripta edunt in Italia atque alibi, melior est, quam

dono hoc iam templum, (in aede Paullina Camerarius tum dicebat,) piarum Musarum fides est, et tribus aliis in scholasticis contuberniis eae tamquam stirpes conseruntur, quae adultae in nostram Academiam transferantur, vbi plenos fructus producant religiosae et piae doctrinae“. Ante omnia itaque et in primis Euangelicae doctrinae, apud nos iam a patre ipsis fundatae, Mauricius par illi pietate virtutisque praestantia, stabilienda tutandaque curam suscepit. Erat antea, sicut omnium doctorum, ita horum in primis, qui se diuinae sapientiae consultos iactabant, barbaries tanta, ut nullum, praesertim Lipsiae, Theologum Scholasticum esse Lutherus adseueraret ****, a quo vel unum capitulum Euangelii aut Bibliorum intelligeretur. Horum plerique, ut Deichselius, Sauerus, Ochsenfardius, (heu inficeta nomina! in quorum ipsis vocabulis sensus barbariae adfert horrem,) iam tum, quum ad reipublicae gubernacula Mauricius admoueretur, vel mortem obierant, vel solum verterant. Supererant admodum pauci, non modo veteri superstitioni tamquam glebae adscripti, verum sic rudes litterarum, sic ab humanitatis doctrina alieni, ut frugibus repertis, quem-

ad-

, quam *Iulii Pflugii, et Christophori „Carolouicci.“* Horum eloquentiam **MELANCHTHON** in Epist. ad Camerarium pag. 322. scite inter se comparat. Ait autem: “Carolouicus „meo iudicio ad eloquentiam Ciceronis effingendam non minus ingeni, nii habet, quam Julius: et est eius „oratio nervosior; Iuliana est aliquibi languidior.“

**** Vid. **CAMERARIUS** Orat. Funebr. VI. p. 176. (Lipf. 1569. 8.)

**** **LUTHERVS** in Epist. ad Sylvium: — “Prope est, ut iurem, „nullum esse Theologum Scholasticum, qui unum capitulum Euangelii vel Bibliorum intelligat, praesertim Lipsiensem.“

B

* * *

admodum in proverbio est, glande vesci mallent. Succes-
serunt his, Auditores, longe alii : plane noua, vt cum poe-
ta loquar, progenies caelo alto demissa. Nam Princeps
pius, vt ab hac parte initium faceret depellendi multiplicis
morbi, quo Academia laborabat, caelestis sapientiae publi-
cos doctores constituit eos, qui tum pietate insignes, tum
exquisitae doctrinae copia praestantes, longissime reliquos
antecellerent. Facile animaduertetis, me iam de quatuor-
uiris istis, Alexandro Alesio, Bernhardo Ziglero, Casparo
Bornero, Iohanne Pfeffingero loqui, praeclarissimis Ec-
clesiae et Academiae luminibus atque ornamentis. Et
Alesius quidem, emendatae religionis amore inde ab ex-
tremis Britannis Lipsiam tandem adlatus, demandato of-
ficio sic perfunctus est, (erat namque, Camerario teste⁹ ;
intelligentissimus Theologicae rei,) vt eius fides ac diligen-
tia maximam et Academiae utilitatem, et ipsi laudem con-
ciliaret. Sed de hoc viro quia iam olim Iacobus Thoma-
sius ex hoc ipso loco, similique in sollemnitate creationis
atque inaugurationis Baccalaureorum, copiose exposuit,

⁹ In Vita *Philippi Melanchthonis* §. 98. (edit. Lips. 1733.) p. 341. "Alex-
ander Alelius, patria Scotus, valde
carus Philippo Melanchtoni, rei
Theologicae intelligentissimus, et ar-
tifex excellens congruentium di-
sputationum, et vir dignitate atque
doctrina exquisita praestans." De
eodem DAVID PEIFER VS Origg.
Lips. Lib. III. p. 384. "Alelius natio-

" ne Scotus, disputator subtilis, non
modo diuinis litteris egregie edo-
" etus erat, sed et spinosam Scotti et
Aquinatis disciplinam percepérat,
et quaestiones, quas illi argutis
suis persequuntur, artificiose dissol-
uere, argumentifque ex Scriptura
Sacra ductis, aduersariorum conclu-
siones articulate resellere, ac pe-
nitus elidere norat."

** Ex-

* * *

eaque oratio in manus virorum doctorum peruenit **, satius est hanc legere, quam idem ex homine indilerto audire. Ziglerus autem cum amplissimi generis, tum eruditio[n]is eximiae nobilitate clarissimus, non modo in Theologiae studiis nemini aequalium cessit, verum etiam in Hebraicis litteris, quos primus apud nos Iohannes Cellarius haud diu ante docuerat, ita fuit versatus, ipsos ut Hebraeorum magistros longo interuallo anteiret ***. Iam, vt de Pfessingero, doctissimo atque integerrimo viro, taceam ****, quis, Auditores, nostrum est, qui non Borneri doctrinam, et in Academiam ardentissimum studium atque amorem, nostra patrumque memoria, a disertissimis hominibus celebratum cognouerit *****? Hie ille vir est, qui inter primos, post profligatam veterem superstitionem, supremis in Theologia honoribus ornatus, rerum diuinarum scientiam ingenti nominis sui gloria professus est. Hic ille vir est, cuius hortatu atque impulsu Mauricius templum Diui Pauli, (nam de ceteris aedificiis postea dicemus,) purioribus sacris aperuit. Hic ille denique est, cuius egregio consilio Mau-

B 2 ricius

** Exstat in IAC. THOMASII
Orationibus varii argumenti, p. 300
— 322.

*** PEIFERVS l.c. "Ziglerus
quidem e nobilitate Misnica, in The-
ologiae studio excellens, et in lit-
teris Hebraicis ita eruditus fuit, ut
"Hebraeorum magistros, si qui offendentur, disputando exagitaret, et
"ex Vaticiniis, oraculorum diuino-
rum libris vi verborum et natura

, orationis Hebraeae argute inclusos
"peruicaciae atque erroris manife-
"stouiceret." Conf. CAMERA-
RIVS loc. comm. §. 94. p. 330.
**** Vid. PEIFERVS l.c. p. 370.
item 398 sq.

***** Vid. PEIFERVS l.c. p. 377.
et praeter CAMERARIUM, AL-
BINVS p. 349 sq. MELCH. ADA-
MVS in Vitis Theol. Germ. p. 94.
Recentiores alio loco laudaui.



ricius omnem diuinarum humanarumque litterarum doctrinam publicam sapientissime instaurauit, Academiamque liberalissime locupletauit.

Post emendationem sacrorum, curam et liberalitatem suam optimus Princeps transtulit ad reliquarum artium disciplinam institutionemque legibus corrigendam, ac pulcris praemiis promouendam. Quod saluberrimum opus ut feliciter perficeretur, praeter Bornerum, paucos alias et dignitate conspicuos, et consilio promptos, et adsiduitate gnuos delegit. In Mauricio enim et hoc infuisse bonum accepimus, ut non modo negotiorum, sed hominum quoque notitiam comprehensam teneret. "Quocirca, inquit Camerarius *¹, neque ad quae quisquam esset idoneus, neque ullius diligentia aut fides, neque etiam socordia et alienatio voluntatis ipsum fugiebat". Delegit igitur ad eam rem Ludouicum Fachsium, Collegii Iurisconsultorum et Senatus Urbani Praefidem, itemque Ioachimum Camerarium, suasu Melanchthonis paullo ante ex Tuba Lipsiacum euocatum **². Sed facile primas tenebat, siue Principis voluntate,

* In Or. Funebr. III. p. 72.

** Vid. PEIFERVVS Lib. III. p. 383.

*** Epist. Lib. II. pag. 143. (ed. Francof. 1589. 8.) — "Conuocatio

, mandata fuerat illi, qui quandam , fuit Thomiana familiæ ~~postulans~~.

**** Attraxit etiam me semel atque iterum nostrar dictator. — Ego quidem

, non volui, neque debui refragari postulationi dictoris nostri : dixi

, itaque sententiam, ut soleo, libere."

***** Loc. comm. p. 386.

***** Scriptae sunt ad Camerarium Misena, d. V. Idus Apr. M D L X. et inter Fabricianas plures quandam a

RON. CONRADO KNAVTHIO collectas, et editioni paratas, ad me peruererunt.

JO. PEIFERVVS p. 385. "Petrus Loriottus e vico Galliae Arterius de motu in arditi na

tate, siue sua ipsius autoritate *noster ille dictator*, *Thomianae familiae quondam praeoratatus*, vt a Camerario, in quadam ad Ioh. Strambergerum epistola ***, non sine stomacho adpellatur, *Bornerus*. Non magis enim, quam Caesar, priorem ferre *Camerarius* poterat: qui primum deinceps locum et ipse nactus, *regendae Academiae Coriphæus* dictus est a Peifero ****; a Fabricio autem in litteris adhuc ineditis ***** studiorum in *Academia Lipsia gubernator*.

Sed et Iurisprudentiae, huc usque ab hominibus barbaris misere deformatae, decus suum ac splendor Mauricio auspice est restitutus. Docebat illam tum apud nos, qui e Burgundis arcessitus in hanc Academiam venit, Petrus Loriotus ***** elegans et doctissimus vir, atque ita egregie docebat, vt, quum incredibili adolescentium vnde adfluentium concursu frequentaretur, nec locus quantumvis spatiofus omnibus capiendis sufficeret, quidam (admirabile dictu!) scalis ad fenestras admotis, vocem doctoris vel e longinquo exciperent. Idem vir tantus, paucissimis licet annis in hoc munere obeundo exactis, eam

B 3

Prin-

„na oriundus, Iureconsultus acutus,
„qui etsi in libris, quos de iure scri-
„ptos edidit, ita angustis, et conci-
„sis disputationibus est alligatus, vt,
„nisi magna animi contentio adhi-
„beatur, difficulter posset intelligi: in
„schola tamen discipulis suis, quae
„in scriptis coarctauerat, et perangu-
„ste referierat, adeo plane et aper-
„te verbis dilatabat, rerumque exem-

„plis accommodatissimis explicans,
„sic reconditos et penitus abstrusos
„legum Romanarum sensus scrutaba-
„tur, excutiebatque, vt vel maxime
„discipulos, quos rudes primum ac-
„cepisset, paucis deinde annis in iu-
„re eruditos dimitteret. Itaque et
„auditorium illius frequentabatur, et
„institutio a discitibus commenda-
„batur in primis.“



Principis benignitatem ac liberalitatem expertus est, ut non dubitauerit profiteri, quod *Saxoniam per aliquot annos cognosset, multo se pluris facere, quam si vel patriae etiam suae, (Arterna haec Burgundiae vicus erat,) praeses a Caeſare creatus fuisset* *. Tanta illis temporibus, Auditores, Lipsiae nostrae, tanta Academiae, optimarum artium studiis florentissimae, celebritas fuit! Praeter hunc, eadem tempestate in amore omnium erat Andreas Camicianus, vir iuris et ciuilium rerum peritissimus, in liberalibus studiis versatissimus, dignitate praeter ceteros insignis, quam peperit sibi ab Henrico, Duce Saxoniae, Augustam Vangionum aliquando missus legatus **. Nec deerant in illo sapientiae atque omnis eruditae disciplinae tam laeto prouentu alii, (praecipuos nominasse sufficerit,) Pistorii, Lomingii, Lobuaseri, Badehornii, Hamelii, praeculari profecto nominis Iureconsulti ***: quorum illorum veluti agmen ducebat is, cuius mentionem iam feci, Ludouicus Fachsius. Atque hunc verae masculaeque statorem iurisprudentiae et doctrinae fuisse, tametsi aliis argumentis nullis cognitum habe-

* LORROTUS in Epist. ad Mauricium Elect. et Augustum, Saxonie Principes, praemissa ipsius Commentariis ad Tit. D. si cert. petat, (Lip. 1552. f.) — "Ego autem, quid ex beneficiis, in me collatis, Domui Saxonicae, nominatio Illustrissimo Eleotori Mauricio debeam, hic re- ferre nolo; sed nec possem, si vel-

"lem. Hoc vnum, quod sentio, referam, ne pluris facere, quod *Saxoniam per aliquot annos cognouerim, quam si patriae etiam meae praeses a Caeſare creatus esset.*

** Vid. IO. PAVL. ROEDER de Colloquio Wormatiensi An. 1540. Disquisitio p. 4. et passim alibi. Extant ibid. p. 162. sq. quaedam eiusdem

* * *

haberemus, satis per se liquet. Quî enim apud talem Prin-
cipem, tam sapientem, in tanta gratia, sine multis et magnis
meritis esse potuisset? Quî in illa clarissima luce litterarum,
absque harum exquisita cognitione, ad tantam honoris et
dignitatis amplitudinem peruenire?

Quodsi ad Medicorum Collegium progredimur, Audi-
tores Honoratissimi, hoc quoque a Mauricio insigniter am-
plificatum ornatumque inueniemus. Habeo autores, qui,
initio huius scholasticae Vniuersitatis, publicam doctrinam
artis salutaris nullam fuisse tradant ****. Id exploratius est,
primum doctores non vltra binos esse constitutos: quasi plu-
res medici, ut obesse dicuntur aegro, ita neque Academiae
nostrae prodeissent. Sub Georgio tamen Barbato tertius ac-
cessit: a Mauricio tandem additus quartus, cuius esset piae-
cipue officium exercere ac docere Anatomen *****. Ex
quo tempore huius disciplinae studium apud nos effloruit,
cultum a paeclaris ingenii, ac tum maxime a Vuolfgan-
go Meurero, eruditissimo viro *****. Hic a Principe
Mauricio ex Italica profectione ad politiores artes docen-
das,

dem, ad *Erasmum Ebnerum*, et *Lu-
douicum Fachium*, Latina epigram-
mata, dextro Apolline, etiam inter-
grauiores curas confecta.

*** Conf. **A D A M I** Vitae ICTorum
Germ. p. 380.

**** ZACH. SCHNEIDERI Chro-
nicon Lipsiense, p. 285. 297.

***** Vid. 10. HEINTZII Or.

de singularum Profess. Medicarum, in
Academia Lips. initis, et incremen-
tis. Conf. **S C H N E I D E R I** Chron.
p. 298. sq.

***** Conf. **B A R T H . V A L T H E R I**
Vita clariss. Philosophi et Medici D.
Vuolfg. Meureri, (Lip. 1587. 4.)
itemque **A D A M I** Vitae Medicorum
Germ. p. 248 — 257.



das, in primisque ad libros Aristoteleos explicandos reuocatus, quum haud multo post in Medicorum Collegium adscriptus esset, magnum ei et ornamentum et incrementum aduluit. Nam Meurero inerat non modo summa medicae artis, eaque cum Philosophiae studio coniuncta et quasi foedere arctissimo copulata intelligentia, sed Graecarum quoque Latinarumque litterarum eximia peritia, et orationis suauitas ea, quae etiam magnos viros, Melanchthonem et Camerarium, quotiescumque ad illum audiendum accessissent, vehementer delectaret*. Accesserunt autem saepius, cum testificandi verissimi amoris caussa, tum ut egregiam viri doctrinam adolescentibus commendarent, nimirum alienissimi a prauitate multorum, qui, si possent, aliorum luminibus libenter officerent.

Verum enim uero ille prope diuinus Mauricii, aduersus Academiam, fauor in meliorum artium disciplinis tuendis prouehendisque tanto plus praefessit, quanto eas ipse magis et coluit, et intellexit. Iam primum quidquid in
earum

* ADAMVS loc. comm. p. 254.
„Ideoque indies maior studiosorum
„concurfus siebat ad eximum Philo-
„sophum audiendum: et multi clari
„in Academia viri, immo magnus ille
„Melanchthon, Vuttemberga adue-
„niens, non raro cum Joachimo Ca-
„merario visus est locum doctrinae
„illius accedere, et sua praefentiae
„nouum Professorem, per se fatis
„commendatum, auditoribus et toti

„Academiae reddere commendatio-
„rem. Multum enim valet ad stu-
„diosam praefertim adolescentiam, iu-
„dicio carentem, praeclera magnoru-
„rum virorum de docentibus existi-
„matio.“

** Maiores erant Vtriusque
Linguae, Philosophiae Aristotelicae,
Mathematicae, Fabii Quintiliani,
Poeticæ, Physicæ, Ethicæ: Minor-
res Grammaticæ Latinae, Gram-
mati-

earum institutione apud nos ruris, quidquid inficetiarum ex prisca barbarie supererat, id omne stirpitus sublatum: eloquentiae studia excitata et alta: rerum doctrina Mathematicarum publica instituta: illa denique vniuersa, antehac fluxa et varia, ad certam ordinis legem reuocata. Durauerat ab antiquo mos, a maioribus consilio fortasse non malo receptus, vt qui sapientiae et litterarum quasi rempublicam tenerent, singulis semestribus doctrinae publicae prouincias, maiores alias, et, vt sic dixerim, consulares, alias minores et praetorias, (Professores enim bonarum artium et Philosophiae maiores et minores **, in Commentariis diserte memoratos inuenio,) fortirentur. Erat sane in tanta et stipendiorum penuria, et doctorum hominum publice litteras profitentium multitudine, haec eiusmodi via inuenta, quae, vt ait non nemo ***, neminem pateretur illo honore atque emolumento carere, nisi cui Deus et fors inuidaret. Sed eadem via, Auditores, hoc in se habebat incommodi, quod fieri non poterat, vt non aliquan-

matae Graecae, Dialectices, Rhetorices, Mathematicae minoris, Rudimentorum Physices.

*** ADAMVS loc. comm. p. 252.
"Erat iis temporibus ea profitendi Philosophiam ratio, vt ex Collegio Philosophico, singulis semestribus, forte eligerentur, quibus doctrina publica committeretur. Quum enim collegae essent plures, stipendia Professionum pauciora et exigua; quum

„que omnes digni haberentur hoc doc-
„cendi munere: ea fuit a maioribus
„via inuenta, quae neminem passa
„est illo honore et emolumento ca-
„rere, nisi cui Deus et fors inuide-
„ret. An crebra haec Professorum
„mutatio studioae iuentuti profu-
„erit, nec ne? disquirere huius loci
„non est: hoc tantum dicimus, il-
„lam consuetudinem post paucos an-
„nos fuisse immutatam. —

C



aliquando aliquis vel doctissimus et eruditissimus in provinciam sibi profrus incognitam, magno publicae disciplinae damno, veniret. Quis enim potest esse, vt ille apud Satyricum, omnis Mineruae homo? quamquam omni tempore fuerunt, et nunc sunt nonnulli sua doctrinae disciplinaeque sic iactatores, vt inde tamquam ex foecundo Copiae cornu vel lactis gallinacei haustum promittant. Itaque Mauricius, (ad hunc enim iam reuertatur oratio,) pro sua summa sapientia, iuuandaeque eruditionis incredibili cura, adnifus est instituere, vt in re grauissima non amplius quasi talos iacerent Philosophi, non temeritas et casus valeret; sed vt ratio et consilium partes non modo distribueret, verum etiam cuiusque proprias ac

per-

* ACTA Facult. Art. MS. ad An. 1542. sub Decanatu Ambr. Lobua/eri.

** De eo ACTA MS. ad e. a. sub Decanatu Leonardi Wolf, (quem etiam Lycum, Lycium, Graece adpellatum reperio,) ita habent: "Cum ante saepius Facultas Artium sollicita erat de insigni aliquo Mathematico, et non mediocriter docto, in hac scientia, tandem per scripta et impulsu clariss. virorum huc ex Wittemberga pertraximus eximum, atque doctissimum Dn. M. Joachim. Rheticum, quem praesentibus Dno Joachimo Camerario, et omnibus Facultatis Artium senatoribus, Professorem maioris Mathematics receperimus vnanimi consensu. Pro stipendio 140 florinos ei promisit, Facultas: ex reformatione habuif-

, set tantum 100 florinos: sed cum hisce nolebat, nec potuit esse contentus, Facultas quotannis 40 Fl. ex Fisco addit, spe Canonicius Zicenfis, secundum diploma Principis. "Quod lubuit adscribere, quum qui de Rhetico commemorare, MELCH. ADAMVS in Vitis Philos. Germ. p. 293. aliique, huius illius munierunt quidem.

*** PEIFERVS Lib. III. p. 387. Joachimus Rheticus in Mathematicis disciplinis eruditus, Geometrica Euclidis scite et dextre tractando magnitudines, interualla, lineamenta, ta, formas et dimensiones auditoribus suis utiliter explanabat: cui ob dicam, quam sibi scriptum iri metuebat, Lipsia abeunti Johannes Homo-

perpetuas faceret. Ac tum sane ad doctrinam publicam regendam distribuendamque quidam ex ipsis arbitri, (*Elegiores Professorum* vocantur in Commentariis Collegii Artium,) praestantissimi honestissimique viri, delecti, ipsaque illa annua constituta*. Aliquo tempore post, redditia ea est stabilis, et per omnem cuiusque aetatem duratura. Quo factum est profecto, ut studia litterarum colerentur felicius, quum Professorum diligentia magis conspiceretur ac celebraretur. In his, ut de Meurero aliisque nunc nihil dicam, Georgius Ioachimus Rheticus, Mathematicarum disciplinarum scientia praeclarus **, Iohannes Homilius, Rhetici successor, in Astrologia tum facile princeps ***, et omnium maxime Ioachimus Camerarius, Graecarum

C 2 Lat-

„Homilius, ea tempestate in Astrologia facile princeps, surrogatus fuit.“ Quid vero causae fuerit, quare dicam Rheticus sibi scriptum iri metuerit, hue usque frustra se, etiam Lipsiae, inquisuisse refert IOH. G. S C H E L H O N I V S , Vir summus, et studiorum nostrorum fautor, Amoen. Litt. T. XIV. p. 447. not. f. Itaque ut rei obscurae aliquid lucis adfundam, verba *de causa Rhetici*, ex Actis MS. Collegii Art. ad An. 1546. sub Decanatu Ioh. Sinapii, hoc loco subiiciam: „XIV. Kal. Decembr. conuenit me clarissimus D. Doctor, C. Bornerus ea relatione, per scriptum Ioachimum Rheticum ad leum litteras, in quibus post longam commemorationem studii et laboris, quo defatigaretur Academ-

„miam nostram sua professione celebriorem reddere, de exhaustis summis conqueratur, ac petere, sic eum renocari ad operas ordinarias ad certum tempus intermissas, ut vel stipendum annum 140 Fl. augetur, vel alio quodam beneficio Collegiaturae sumptus illius subblevarentur, deque eo, quam fieri posset celerrime, nostram ei voluntatem nomine Communilitatis Artium aperiremus. Respondi ego, hoc negotium totius Confiliii Facultatis esse. Ne ergo in mora forem Doctori Bornero, qui properanti calambo D. Rethico respondere continebat, confessim conuocans uniuersos senatores Communilitatis Philosophicæ, sic rem, ut gesta erat, proposui: qui prudenter constituerunt,



Latinarumque litterarum, omnisque exquisitae doctrinae cultura praestantissimus, (*Germaniae Phoenicem dixere,*) eminebant. Et in primis Camerarii in constitutis ordinandisque optimarum artium studiis opera ac prudentia eximia erat, collegisque ipsis adeo grata atque accepta, ut ab his eum scypho aureo cohonestatum reperiam *. Quod munificentiae genus, etiam inter viros doctos, insigne habebatur illis temporibus, quibus sine Baccho, verecundo duntaxat illo, Mineruam quoque frigere vulgo putabant **.

Quae quum ita sint, Auditores, facile animaduertitis, prisci Academiae status egregiam sub Mauricio factam fuisse conuersionem, siue *Reformationem*, quo vocabulo in Commentariis nostris est insignita: rem litterariam, omnemque scholasticam institutionem pulcerrime exsplenduisse: ingenia hominum quasi mutata decus et ornatum sumsisse: Academiam denique totam ad robur

iuuens

„runt, id esse respondendum Borne-
„ro, ius conferendi Collegiaturas
„nullum habere Facultatem; sive
„exhaustum esse aerarium Faculta-
„tis, vt nunc quidem nec illi stipen-
„dium augere, nec polliceri possint.
„Summam vero omnium illius esse
„exspectationem, sive non dubi-
„tare Facultatem ex ea, qua bene-
„uelentia hunc complexa esset, de
„illius prospero ac lubenti ad eam
„reditu, ac petere, quo ita huc iter
„institueret, vt elapsis Nonis Maii

„suam obiret prouinciam, quum in
„hoc genere studiorum eximii cuius-
„dam Professoris carere diutius non
„posset Academia nostra.,, Redit
dēmum anno octauo et quadragesi-
mo adulto: sed paruo tempore post
Academiae prorsus se subtraxit. De
Homilio vid. IOACH. CAMER-
ARI Or. habita in declaratione Ma-
gistr. Philosoph. (Lipſ. 1563. 4.) et
SCHELHORNI de vita et meri-
tis Ioh. Homili. Narratio, loc. comm.
p. 403 — 467.

* ACTA

iuuentae, maturitatemque suam peruenisse. Haec itaque fuit Academiae vere aurea aetas: haec tum vrbs in Germania, iudice ipso Germaniae communi praceptor, Melanchthon, vnicum doctrinae domicilium ***.

Itaque sic constituta ornataque studiorum Vniuersitate nostra, nihil quidquam beneficiis deerat, nisi fiducia perpetuitatis. At enim huic quoque, quantum in se fuit, prospexit Mauricius legibus vel priscis instauratis, vel nouis promulgatis, quibus plerisque adhuc vtimur. Eorum Statutorum, vt vocant, adeo orationis forma facit, quamuis certiora etiam ac liquidiora rei adsint argumenta ****, vt perscripta ab Camerario arbitrer, ad id negotii digne exsequendum in primis idoneo. Per eadem tempora Princeps sapientissimus atque indulgentissimus vt ingenii praebueret alimenta doctrinae, bibliothecam apud nos e libris monasteriorum tum Lipsiensium, tum Cellensis, aliorumque, in quibus blattas ac tineas pauerant, instruen-

C 3

dam

* ACTA MS. ad An. 1542.

** Conf. Commentariolus noster de Augustino Olomucensi, et paterna eius aurea, in Nummophyl. Princ. Drefdae adseruata, c. 5.

*** MELANCHTHON Epist. ad Camerarium Lib. IV. ep. 770. "Etsi, quum ante aliquot menses intellexsem, hinc migraturum esse virum praefstantem ingenio, eruditione et virtute, Alaricum, dolebam ex hac nostra Academia tantum auel-

, li ornamentum: tamen nunc in his nostris miseriis reditum ipsi in patriam, et in eam vrbum, quae nunc quidem vrica in Germania doctrinae domicilium est, gratulor, ac opto, vt et consuetudine suorum,

, suauiter et feliciter fruatur, et studia doctrinae apud vos ornet, ac adiuuet.

**** ACTA MS. ad An. 1542. passimque alibi, imprimis ad An. 1557.



dam et locupletandam curauit *. Hinc ille verissimus omnis eruditionis thesaurus noster: illa tanta Codicum, tanta librorum vel ipsa vetustate ac raritate praestantium, copia.

Nondum omnia oratione prosequutus sum, AA. multitudine rerum dicendarum fere oppressus: nec tamen praetermittenda sunt incredibilis, erga Academiam, fauoris et munificentiae reliqua monimenta, his, de quibus com- memorauit, neque inferiora, neque obscuriora. Quid enim magis in oculis nostris, in quotidiano adspectu populi, qualisque in luce ciuitatis positum est, quam aedes Paullina, stabulum quandam cucullionum solitariorum, nunc Bonae Mentis atque Musarum domicilium? Eas enim nemo est rerum nostrarum paullo studiosior, quin a Principe optimo Academiæ liberalissime donatas, ac per Carolouicium, Arcis Plissenburgicae tum Praefectum, litterarum patronum benevolentissimum, traditas vel lege- rit,

* Vid. IOACH. FELLERI et CHR. GOTTL. IOECHERI Ora- tiones, de Bibliotheca Acad. Lipf. Paullina: itemque FELLERI Cata- logus Codicum MSC. Bibliothecae Paullinae.

** Vid. PEIFERVVS Lib. III. p. 377. sq. FELLERVVS in Rediuuita C. Borneri Memoria p. 29. sq. ADA- MI RECHENBERGIRI Diff. de Sereniss. Electorum Saxoniae fauore in litteras et scholas, §. XI. sq. Sed rem diligentissime et planissime omni- um exposuit idem ille, qui tantum

beneficia a Principe tum impetraverat Academiae, CASPARVS BORNE- RVS singulari Rerum Paullinarum Libro, valde vtili nec iniucundo ta- lium studiosis. Ex eo, adhucdum latitante in scriniis, proferam verba, quae ad traditionem aedium ista- rum spectant. — "Venit Principis scriptum, quod libello edito inuul- gabatur. Is varias constitutiones continebat, et disperitionem bono- rum Ecclesiasticorum in Academi- am, in Paedagogia, in centum sti- pendia, de 600 modis in mensa-

,, com-

rit, vel fando acceperit **. In quo munere non solum beneficij magnitudo, quamquam et haec quoque, sed multo magis ipsius Principis amor, atque inuiictus aduersus inuidiam animus spectandus est. Non enim defuerunt nemquam quidem homines improbi, et male in Academiam feriati, qui hanc ei velut offam eripere, Principisque liberalitatem in se deiuare contenderent. Contra horum vana dicteria Mauricius immotus et flecti nescius, mensa iterum atque iterum palma percussa, *Semel dixi, inquit, semel scripsi, semel praeſlabo.* rursus pectore percusso, ad Strambergerum, Academiae Syndicum : *Ego ita erga Academiam Lipsensem me geram, ut nemo non intelligere possit, illam valde a me adamari ***.* O benignissimum Principem ! O Principem Lipsiae suae amantissimum ! Sane adamata est a te, Diue Maurici, Academia tua : tuncque hoc beneficium largissime amplificatum. Nam Paullinarum aedium pars haud exigua quum in vrbis huius

„communes, de ipso Paullino. Hunc suis ciuibis publice recitat Senatus : „qui huius muneris primus nunciator fuit et praeco nondum adhuc usque traditi : peperitque munificencia haec passim per Germaniam laudem ingeniem nostro Principi. Eodem Iunio menfe confequutum Rescriptum ad *Carloicium*, recens factum Lipsiae auctis Praefectum, vi rum eximia litteratura, ingenio acuto, prudenti, et scholae, in qua olim educatus est, fortiter fauen tem. Is sapienter meditatus de tra-

„dendae possessionis ratione, Rectorem *Buffinum* in Paullinum arcessit. Cumque facundo ore clauem tradidisset in maximo coenaculo, *Stramburgus* pro Academia pari sermonis nitore et grauitate verba faciebat. Traditio haec venit in annum Salvatatis MDXLIII. Non. Kal. Iul. in Pentecesi Paullique Apostolorum praece- danea.“

*** BORNERI Liber MS. conf.
FELLERVS in Borneri Memoria
p. 36.

* BOR-



ius dira obsidione excidio et ruinae data esset, neque pars maior, in illa egestate nostra, ad Academiae usus plane accommodari posset: en tu ibi, ut beneficium aliis beneficiis augeres, ac cumulares, ad aedificationes necessarias, ad istos nidulos vestros, Commititones Carissimi, ad vestrā musea, ut suum olim Eobanus Hessus vocabat, Homerica comparanda, aliquot millia nummū contulisti. Circa idem tempus non minori Principis munificentia, quae vbiique praesto erat litterarum cultoribus, Academiae fortunam quacumque in re adiuuabat, etiam coniunctus publicus instructus est: pecuniae etiam erogandis stipendiis annuis dicata. Porro cum Paullinis aedibus etiam pagi aliquot, cum adiacente silua, Principis beneficio Academiae concessi sunt, ut magistrorum doctrinae publicae tum res familiaris pinguor, tum focus luculentior in posterum esset *.

Haec, haec sunt indulgentissimi Principis munera; haec immortalia in Academiam Lipsicam beneficia, tanto maiora illa et ampliora, quanto infestior litteris ac rebus nostris istorum temporum calamitas fuit. Quippe tum magnum patriae, magnum vrbi et Academiae nostrae vulnus impressum funesto bello, inter duos cognatos Principes accerrime gesto. Sed in Mauricio haec ipsa belli flamma illud bene de suis merendi studium cu-

pidi-

* BORNERVS l. c. PEIFERVVS p. 380. FELLERVVS p. 42.

* * *

piditatemque magis accedit. Saepius eum multis auditibus dixisse perhibet Georgius Arnoldus *, haud contemnendus rerum auctor: *Non se ignorare, subditorum suorum facultates intestinis motibus extenuatas esse; se tamen, si vita suppeteret, daturum operam, ut eiusmodi incommoda aliis commodis compensarentur.*

Talem Principem, caelestis fauoris certissimum pignus, Auditores, et nos nunc habemus, Principem pium, sapientem, beneficum, omnis doctrinae liberalis intelligentissimum, Academiae nostrae amantissimum, verbo dicam, talem, quo melior optari non possit. Quanta enim in Principe nostro concordia, quantus concentus omnium fulgentissimarum virtutum! Ipse vultus, illa oris gratia, illa dignitas frontis, quam manifesta praebent diuinae mentis indicia! quantum venerationis habent, quantum amoris! Auget felicitatem nostram, et beatissimi seculi nuper exorti gloriam noua luce illustrat Coniux Principis Serenissima, *Mater Patriae*, (quo Augustarum titulo prisci Romani praestantiorem alium nullum habebant,) decus Musarum, seu potius Minerua altera: cuius fauore ac praesidio, tamquam Palladis aegide, muniam ac defensam litterarum dignitatem, plus plusque indies valitaram esse, laeti prospiceimus. Quid igitur nos,

* In Vita Mauricii, Ducis Saxoniae, S. R. I. Septemuirii, edita ab

MENKENIO, Script. Rerum Germ.
T. II. p. 1250.

qui talium Principum diuinitate fruimur, non debemus
 sperare? Quid non augurari Academiae nostrae de ge-
 minato eorum fauore? quem, vt saepius antehac, ita
 nuper clarissime ostenderunt, quum non audirent solum,
 magno cum animi dolore, damnorum nostrorum diro
 bello acceptorum Iliada, verum etiam liberalissime pol-
 licerentur, opem se rebus collabentibus adlaturos esse:
 quum **TU**, **INDVLGENTISSIME** **PRINCEPS**, **PRINCEPS OPTIME**, votum etiam adderes, vt praestare tan-
 tumdem posses, quantum velles. Deus **TE** seruet, **DVX**
ELECTOR SERENISSIME! Deus **TE** seruet, **SERENISSIMA** **PRINCEPS**! **TU** nos saluos reddes: **TU** nos
 incolumes seruabis. Porro in Consilio Principis adiunt
 potestatis Principalis administri, Commerstadiis, Caroloui-
 ciis simillimi, hoc est, sapientissimi, et litterarum studiis
 atque Academiae Lipsiae fauentissimi, qui vt communi
 saluti studiosissime ac diligentissime consulunt, ita scho-
 lasticae huius Vniuersitatis veterem gloriam et tutabun-
 tur, et augebunt. Quae quum ita se habeant, Auditores,
 quis nostrum est, qui non spem pulcherrimam animo con-
 cipiat, fore, vt artium et litterarum studiis rursus oriatur
Seculi Mauriciani felicitas, et redeant in aurum, vt cum
 poeta loquar, tempora priscum.

In haec felicissimi Principatus initia incidit huius
 diei, post horridam diuturni belli tempestatem, instaurata
 sollemni-

* * *

sollemnitas : his vos rebus secundis Diuini Numinis benignitas seruauit, Candidati Ornatissimi, Commititones Suauissimi, quae et ipsae hanc primam lauream, hos primos in Philosophia honores auspiciores laetioresque vobis reddant. Estis autem omnino ii, quibus propter virtutis praefstantiam, et elegantiam ingenii, et studium doctrinae, nobis per legitima examina comprobatum, isthanc dignitatem lubenter conferamus atque impertiamus. Sed vt vos vere ac merito a nobis laudari, ideoque dignos esse illo honoris ornamento cognoscant quam plurimi, agite, specimina quaedam industriae et profectuum, inprimis in Graecarum Latinarumque litterarum scientia, quae est omnis verae et elegantis doctrinae fons et origo, nobis iam exhibete.

His ita actis, ego spem et exspectationem vestram, Candidati Praestantissimi, haud diutius morabor : quin potius tandem faciam id, cuius caufsa haec sollemnitas est instituta. Quod igitur felix, faustum, fortunatum Deus esse iubeat, ego — Philosophiae et Bonarum Artium Doctor in hoc ipso loco creatus, Historiarum Professor Publ. Ord. Historiographus Saxonicus, “auctoritate Philo-
osophorum Ordinis et potestate hoc tempore mihi con-
cessa, te primum, — vos vniuersos et singulos, numero
nouem, more maiorum et antiqua huius laudatissimae
Academiae consuetudine, Liberalium Artium et Philo-

D 2

„phiae



„phiae Baccalaureos facio et creo, et de sententia Colle-
 „gi Philosophici factos creatosque renuncio, tribuens vo-
 „bis potestatem vestro loco libere faciendi et exsequendi,
 „quidquid huic Ordini facere et exsequi conuenit; idque
 „in nomine Patris, et Filii, et Spiritus S. vnius solius Tri-
 „ni Dei, benedicti in secula. Amen !”

Hanc iam lauream, Ornatissimi Viri, praemium habete
 vestrae virtutis atque industriae, et vero etiam documen-
 tum nostrae, erga vos, propensae voluntatis: quam vt vo-
 bis iucundam acceptamque esse intelligamus, ad extre-
 mum tu, — Baccalauree Nobilissime, recita carmen, ad
 animi grati pietatem significandam.



D 2

Yc 6668



Ms. 19 - Evangelische Schule

VD 77 m.d.



IOH. GOTTLLOB BOEHMII
HISTORIAGR. SAX. HIST. PROF. PVBL. ORD
PAST. ARC. ACAD. PISAVR. SOC
DE
M A V R I C I I
DVCIS ELECTORIS SAXONIAE
IN
ACADEMIAM LIPSICAM
IN SIGNI FAVORE
O R A T I O
QVVM
BACCALAVREI PHILOSOPHIAE

MENS. DEC. A. R. S. CICDCCCLXIII

C R E A R E N T V R

DICTA

L I P S I A E
IN OFFICINA HEINSIA

A. R. S. C I C I C C C L X I I I I I